



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Profanus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

In Missæ Canone : offerimus præclare
Majestati tuæ, de tuis donis, ac datis, ho-
stiam puram. 1. Cor. 4. 7. quid habes, quod
non accepisti? Job. 35. 7. Eliu : si justè
egeris, quid donabis ei? aut quid de manu
tua accipiet? Pf. 49. 10. mea sunt omnes
seve sylvarum. Omnis hæc copia - de manu
tua est, & tua sunt omnia. 1. Par. 29. 16.
Mendoza in 1. Reg. 6. 1.

Miscellanea.

Factum est autem, post multos dies, ut
offerret Cain. Gen. 4. 3. Culpa est, quòd post
dies obtulit : sacrificium enim celeritate commen-
datur. S. Ambros. l. 1. de Abel & Cain c. 7.

Sanctum sanctorum est. Levit. 6. 25.
Sanctum à sancio venit : sancire enim propriè
est, consecrare aliquid sub sanguine hostiæ : unde
sanctum dicitur, quasi sanguine consecratum.
Id. hic.

Non vadam, donec ablactetur infans.
1. Reg. 1. 22. Cur statim non vult deferre
puerum Deo suo? Erat equidem puer donum
oblatum à matre in Dei cultum ; sed expectabat,
& ejus profectui prospiciebat. Bæza t. 3. l. 14.
c. 5. §. 7.

Si offers munus tuum ad altare, Matth.
5. 23. Quod semel munus Deo offers, teneris

illud omni ex parte perficere. Non jubetur
quis, ut oblatum Deo munus tollat, & abeat
reconciliari fratri suo ; sed ut abeat reconciliari,
relictò ibi coram Deo munere. Cur relictò, &
non secum latò? ut, ibi manente munere, osten-
dat obligationem, quâ tenetur homo perficere
munus, quod Deo semel obtulit ; nè ex aliqua
deficiat parte. Id. ibid.

Reddite, quæ sunt Cæsaris &c. Matth.
22. 21. Nè ob hoc quispiam cavetur, ideo
non posse reddere vota sua, quòd censum de-
dit in fiscum Cæsaris : quoniam Deus talia exi-
git, quæ non possent impedire censores ; propte-
rea dictum est : quæ sunt Dei, Deo. Unusquis-
que habet apud se, quod, ex mandato sancto, ab
ipso faciendum accepit. Sim. Cast. l. 11. c. 5.

Ministrabant ei de facultatibus suis.
Luc. 8. 3. Non de alienis, sed de suis. Sed heu!
multi offerunt aliena ! non de suis facultatibus,
sed de alienis, Christo ministrant. Id. l. 9.
c. 29.

Hæc tria sunt necessaria ad hoc, ut sacrifi-
cium nostrum placeat Deo : scilicet fides vera,
opera bona, intentio pura. Hugo Card. in
Ex. 3.

Nemo suum aliquid offert Deo, sed, quod
offert, Domini est : & non tam sua quis offert,
quàm ipsi, quæ sua sunt, reddit. Origenes hom.
23. in Num.

TITULUS IV. SALTUS.

§. I.

Bonus.

Tempus flendi, & tempus ridendi.
Ecd. 3. 4. S. Hieron. nunc flendi tempus
est, in futuro ridendi. Beati enim flentes,
quoniam ipsi ridebunt. Luc. 6. 21. Plangen-
dum est impræsentiarum, ut postea saltare va-
leamus illà saltatione, quâ saltavit David ante
Arcam. 2. Reg. 6. 14. quia, qui in præsentia sæ-
culo sua plangit peccata, ridebit postea in futuro ;
juxta illud Malach. 4. 2. egrediemini, & sa-
lietis, sicut vituli de armento. Cornelius
hic.

Quid videbis in Sulamite nisi choros
castrorum? Cant. 7. 1. Chori castrorum,
sunt choreæ, tripudia, & saltus, militum trium-
phantium. Cornelius hic.

Tempus saltandi erit in alio Mundo. Unum
saltum, sive choream, faciunt sancti Patres, &
Patriarchæ ; cum quibus tripudiant personæ,
quæ fuerunt misericordes. Alium saltum fa-
ciunt Prophætæ ; cum quibus tripudiant devoti,
Alium Apostoli cum charitativis. Alium Mar-
tyres cum patientibus. Alium Virgines cum
continentibus. Sanct. Vinc. Ferr. l. 4. Dom.
Septuag.

Probabile est, vera olim instituta in natalitiis,
translationibusque Sanctorum, tripudia, sed mo-
desta ; imò religiosa. Ità etiamnum Præmiam,

& Epternacum, celeberrima in dititione Trivirensi
Cænobia, certis anni diebus, vetere more, pere-
grini saltantes deducuntur, & Springende Heil-
gen : quæ res magnum in spectantibus ciere
sensum pietatis solet. Sic Heriboli S. Killiani
solenne olim tripudium ejus natali diè, S. Killian-
tang. Alibi quoque apud Belgas, ut Hallis, op-
pidò nobili miraculis Deiparæ, consuevere pe-
grini, absolutis divinis officiis, circum tem-
plum, in foris, & compitis, tripudia agitare ;
pias unà cantilenas concinentes, festivè interea
sonantibus campanis. Bollandus in notatis.

§. II.

Profanus.

Ubi saltus lascivus, ibi diabolus certè ædest.
S. Chrysost. hom. 40. in Matth.
Saltationis, & cantuum, nullus exitus est ;
sed in semetipsam operatio tota confertur, S.
Basilus Casar. l. 1. hexam.

Ubi citharæ, ac chori, & plausus manuum ;
ibi virorum tenebræ, & mulierum perditio ; An-
gelorum tristitia, & diaboli festum. Quid
frustrà turbaris, ô homo ! unicus febris impetu-
ræ saltationes, atque lasciviæ, sinem capient.
Una hora, te ab iis, quibuscum tripudiare sole-
bas, separabit. Una nox intercedet ; & caro tibi
marcescet pedesque ad malum cursum dispositi
deficient ; manus tibi dissolventur, oculi tui ta-
bescant,

bescant, lingua ex improvise quiescet, & incomposita tua vox deficiet. S. Ephrem quod ludicris rebus abstinendum Christianis.

Unde suas didicere choreas? quis talia Christianus edocuit? non sanè hæc eos docuit Petrus, non Joannes, nec quis alius divinò Numine afflatus; verum ista draco antiquus suis voluminibus docuit. S. Ephrem. ibid.

Tripudia, choreæ &c. Plerumque vitia attrahunt. S. Francisc. Salef. Philoth. p. 3. c. 33.

Choreæ, sunt congregatio Parochianorum diaboli; pulsans campanam ad congregandum populum, tibicines &c. Sacerdotis locum tenet, qui cantilenam incipit; Clericorum, qui prosequuntur &c. Tales etiam sunt jumenta venalia, quæ in signum ornantur. Sicut subuleus, qui volens omnes porcos congregare, facit unum clamare; sicut diabolus facit unum cantilenam incipere &c. Broymard Choreæ.

TITULUS V. SALUS ANIMÆ.

§. I.

Quam Deo chara, desiderata.

Num. I.

Dicit suam, eâ sibi opus esse.

Ex Veteri.

Salutare tuum expectabo Domine. Gen. 49. 18. ait Jacob. Et Luc. 2. 30. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Et alibi sæpe. Vide Concordantias. Christus Dominus, qui salutare nostrum est, vocatur *salutare Dei*: quia Pater æternus, propter nimiam charitatem suam, suum salutare vocat, quod nostrum est. Ipse ait II. 49. 6. *Dedite in lucem gentium, ut sis salus mea &c.* O benedictus, & glorificatus, sit talis Deus! qui ita nos diligit; ut salutem nostram, suam dicat. Diez. Amor Dei erga hominem.

Est enim phasè id est, transitus Domini. Ex. 12. 11. In amicis suis quodammodo ad patriæ libertatem transibat Dominus. Sic suum Phasè, sive Pascha, vocat Christus; dum nos educit morte suâ à captivitate. Ramirez in Apoc. 2. ep. 3.

Quæsit Dominus sibi virum juxta cor suum. 1. Reg. 13. 14. *Sibi* emphaticum est: quasi David totus ad utilitatem, voluptatemque, divinam pertineret. Hanc enim vim habent sæpe hæc prænomina. Act. 9. 15. *Vas electionis est mihi iste.* Act. 13. 2. *Segregare mihi Saulum, & Barnabam.* II. 49. 5. *Formans me ex utero servum sibi.* II. 59. 16. *Salvavit sibi brachium suum.* Et passim alibi. Ubi Deus dicitur *sibi* facere, quod in nostram utilitatem facit. S. Basilius ad illa verba Ps. 97. 1. *Salvavit sibi dextera ejus*: non dixit, salvavit eos, sed *salvavit sibi*: immensâ enim benignitate usus, mortalium vitam suam dicit emolumentum. Mendoza in 1. Reg. 13. 14.

Et super salutare tuum exultabo vehementer. Ps. 20. 2. Id est, quod per eum salvasti homines, Filius tuus, qui Salvator est, exultabit. Addit quoque: *vehementer*: ut, quanta est copia in beneficio, tanta sit & gaudii magnitudo. Cassiodorus hic,

Salvavit sibi dextera ejus. Ps. 9. 7. 1. Sæpius diximus, manum actionem dicere; dex-

teram verò bonam actionem. Dicit autem hominum salutem ejus potentia opus esse: immensâ autem benignitate utens, suum quæstum hominum vitam ducere. B. Theodoretus hic,

Tenui eum, nec dimittam; donec introducam illum in domum matris mee &c. Cant. 3. 4. Gilbertus hic: in cubiculum genitricis, in illam cœlestem Jerusalem; quæ mater est omnium nostrum. Gal. 4. 26. Sed nunquid non jam ascendit ad Patrem? nunquid non jam præcessor introivit: pro nobis? quomodo tu introduces, quod ipse prior ascendit? tu magis indiges, ut ipse te ducat; cui dicitur Ps. 118. 35. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum.* Quomodo ergo introduces illum, quod jam ipse ascendit? ascendit quidem per se; sed adhuc in te fons existit, in te introducit, quod per se prior ascendit. Ramirez in Apoc. 3. ep. 3.

Vadam mihi ad montem myrrhæ. Cant. 4. 6. Hugo de Sanct. Viçt. sibi vadit: quia singularis amor est, quod homines prosequitur.

Non feneravi; nec feneravit mihi quisquam. Jerem. 15. 10. Sive: non profui; nec proficit mihi quisquam: nullus enim voluit tantum accipere, quantum ego tribuere desideravi. Salus enim creaturæ lucrum est creatoris. S. Hieron. hic.

Ex te exiit mihi dux. Mich. 5. 2.

Ex Novo.

Oportet eum ire in Jerusalem, & multa pati. Matth. 16. 21. Et Luc. 24. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum.* Nota ly *oportet*: non ait: oportet vobis Discipulis me pati. Tam immensâ ejus bonitas! ut ex nostra miseria eliceret necessitatem. Sylveira c. 42. in Joan. 12.

Dominus his opus habet. Matth. 21. 3. Solvitur pullus; quia Dominus necessarium eum habet. Vos estis pullus asina: quid vestri Filius Dei necessarium habet? quid à vobis expectat? Salute vestrâ opus habet; cupit, vos solvi vinculis peccatorum. Origenes hom. 37. in Luc. Necessariusne homuncio unus Creatori? tanti ducit Deus unum hominem; ut cum ipso quodammodo omnia possidere videatur; sine ipso nihil. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 8. sect. 1.

Ffff 3

obl. 3.